UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Jncipiens ab Anno Redemptoris DCC.XIV. perducitur vsq[ue] ad Annum DCCC.XLII. quo & orta hoc sæculo in Oriente, debellata est penitus Iconoclastia; vt planè qui Tomum hunc Panopliam dixerit aduersus impios Iconoclastas, veritatis scopum attinget, Continet annos C.XXVIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Praefatio Avctoris Cvm Imploratione Divini Avxilii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15233

Visual Library

ANNALES ECCLESIASTICI.

Magna quidem vis eſt atque potentia veritatis, vtpote, quæ Dei Filium inuiſibilem atq; incomprehenſibilem è cœlo duxit in terram, fecitque viſibilem hominem, vt eundem ſui teſtem fidelem efficeret. Id enim profitetur ipſe, dum ait [a]: *Ego in hoc natus ſum, & in hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati*, noſque id ipſum præſtare volens, ſic monuit [b]: *Et vos teſtimonium perhibebitis*: adeò vt qui Chriſti ſunt, iidem teſtes eſſe debeant veritatis. Sicut enim magnus ille Patriarcha Iacob [c] non ſolùm ipſe lapidem erexit in titulum, ſignum ac teſtimonium cum Laban ſancitæ concordiæ, ſed ſuos omnes ſimul in vnum conferre lapides præcepit, tantâ copiâ, vt tumulus cumularetur, quem Aceruum teſtimonij nominauit: ita & Chriſtus non ſolùm lapidem [d] illum ſummum, angularem, electum, pretioſum, ac viuum erexit in titulum, ſublimi inſcriptione ſignatum: *Ego [e] ſum Via, Veritas, & Vita*: ſed & ſuis id ipſum faciendum præcepit, etiam ſi opus ſit vitæ diſpendio, huiuſcemodi ſcilicet in vnum aggregare lapides indices, ſemper loquentes teſtimonia veritatis.

Cùm autem id iugiter in Eccleſia factum conſtet; nos id operis ſponte ſuſcepimus, vt ex rebus geſtis prodita annis ſingulis teſtimonia veritatis, eadem ſimul congerentes in vnum, ac temporis ordine diſponentes, tolleremus in altum nobiliorem tumulum teſtium, qui ſui eminentiâ factus orbi vniuerſo perſpicuus neminem latere poſſet; adeò vt hac ex parte ſi quis Annales hos, antiquo nomine Aceruum teſtimonij appellauerit, puto ſcopum veritatis attinget. Lapides ſiquidem ſunt iſti vocales, vbi ſit Eccleſia Catholica edocentes: quos qui non audiunt, eſſe ſurdi penitus conuincantur, & arguantur omnino cæci, qui non videant quod tantâ ſublimitate promineat, atque prorſus ſit exiſtimandus inſanus, qui tantâ congerie ac mole teſtium ſpretâ, ſuam potiùs omnibus duxerit præferendã eſſe ſententiam.

Suſcepti igitur nos memores inſtituti, ac Domini commonentis, atque dicentis [f]: *Qui non colligit mecum, diſpergit*; eiuſmodi colligendi lapides cœptum ſemel proſequimur opus: & quamuis nimio labore feſſi, aſſurgimus tamen alacres, non noſtris confiſi viribus, ſed de conſueto patrocinio, quod iugiter imploramus, patronæ noſtræ ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ Virginis omninò ſecuri. Cuius & precibus illud rogamus impendi, vt idem, qui in dies magis, maioribus incrementis Aceruus teſtium exaltatur, tanquam excelſa Pharus eluceat miſeris illis, qui cæcâ nocte per altum pelagus ſæuâ tempeſtate iactati [g] circumferuntur omni vento doctrinæ; quo tandem ad lucẽ veritatis, licèt ſerò conuerſi, illuc clauum dirigant, vnde malè ſoluerunt, ad portum ſalutis, Catholicam ipſam ſanctam Eccleſiam, quæ vnica in æternum perſtat [h] columna & firmamentum veritatis.

f Luc. 11.

g Ephe. 4.

h 1. Tim. 4.

IESV CHRISTI Annus 714.

GREGORII PAP. II. Annus 1. — ANASTASII IMP. Annus 2.

I. Annvs Redemptoris ſeptingenteſimus decimusquartus, Indictione duodecimâ, ſuperiori Tomo vſque ad obitum Conſtantini Papæ in Annalibus relatus habetur: quæ autem ab eo tempore vſque ad eius finem geſta eſſe reperiuntur, iam aggredimur enarrare; atq; primùm de ſede Gregorij, eius nominis ſecundi Roman. Pontificis, quem abſolutiſſimi omni ex parte ſummi ſacerdotis expleſſe numeros, cùm res ab eo præclarè geſtas perlegeris, æquè conſenties. Quod primùm ad tempus ſpectat, cùm aliam eius Pontificis ſedis longè diuerſam annorum rationem initam à recentiore [i] auctore reperias ab ea, quam nos ponimus, hoc anno inchoatam eſſe, niſi quòd tradat poſt bienniũ ipſum ſedere cœpiſſe, dignum

GREGOR. SECVNDI SEDIS TEMPVS.

i Panuin. in Faſt.